Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 685
Quelle:
Copyright:

&c. binamque ſubpeditant lectionem *Uſſeriana* meliorem, videlicet V. 7. *Quo* (Hierotheo) *mox edoctus*, pro *Qui mox edoctus*, et V. 17. *Suſpicit ad Seraphim* pro *Suſcipit*. Verſus tamen 21. Graecus aeque corruptus eſt. Libro mox *de Coeleſti Hierarchia* praefixus eſt *Capitum* Elenchus, quem *Codex* praeced. non habet, et *Epigramma*, quod ille ad calcem rejicit, quodque hic aliter, et quidem ſic ſonat: *Epigramma in beatum dyoniſium de celeſti ierarchia. Angelice ſapientie fulgores multos projeciſti hominibus. manifeſtaſti uidere animo compoſitam pulchritudinem.* De his *Epigrammatibus* mentem meam aperui ad *Cod.* mox *cit.* Sequitur jam *Liber de Eccleſiaſtica Hierarchia* praemiſſo Elencho et Epigr. item *Liber de Divinis Nominibus*, *de Myſtica Theologia*, et demum X. *Epiſtolae*, omiſſa illa *ad Apollophanem.* Codex cetera ſat mendoſus *duobus* Excerptis terminatur, quorum prius ex *Euſebii Hiſt. Eccl.* L. III. c. 17. Juvenem inter Latrones delapſum et a *Johanne* Apoſt. ad frugem reductum exhibet; alterum e *Philonis* Libro περὶ βίου θεωρητικοῦ de Monachorum *Aegyptiorum* vivendi ratione tractat. Ad neutrum porro Librarius indicavit, unde depromſerit.

II. *fol.* 40. *Incipit ſumma de Anima compoſita a fratre iohanne de Rupella.* Autor Gallus Ord. FF. Min. Magiſter *Pariſienſ.* e Schola *Alex. Alenſis* obiit 1271. Ejus Geſta et Scripta referunt *Trithemius* n. 459. *Waddingus* in *Annalib. Ord.* et *Scriptt. O. M.* et *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. IX. Mirum, quod praeſens illius Tractatus metaphyſicotheologicus *Waddingum* effugerit. Incipit ille: *Si ignoras te o pulcherrima mulierum uade et abi poſt greges caprarum. Cant. Tibi anima rationalis proportionatur uerbum iſtud, que es mulierum pulcherrima. quia omnium creaturarum ſpecioſiſſima. tenes ymaginem et ſimilitudinem ſumme pulchritudinis et decoris. Hanc tuam ſi ignoras pulchritudinem. irrationabilibus gregibus compararis. Vade et abi poſt greges. Tibi ergo anima de te ipſa conſideranda ſunt tria. Subſtantia uidelicet tua. uirtus. et operatio.* En tres Operis Partes, quae deinceps in Quaeſtiones et Articulos abeunt. Ad calcem: *Ad laudem dei et beate uirginis Marie. Explicit ſumma de anima quam compoſuit frater Johannes.* Cetera eraſa. Alia manu additum:

Mens humilis, ſtudium querendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Hec reſerare ſolent multis obſcura legendi.

Aliud *de Anima* Scriptum, quod incipit: *Sicut dicit Joannes Damaſcenus* &c. et in *Cod. S. Victoris Pariſ.* Noſtro tribuitur, ad recentiorem quendam Scriptorem rectius referri autumat *Oudinus*, cujus